Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26083
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Introducto quoque Benjamin, commota sunt viscera eius, et ingressus cubiculum flevit, lotaque facie egressus continuit se, et ait: Ponite panes. Sedit autem Joseph seorsum tamquam alienigena, et Egyptii seorsum ut indigene, et fratres seorsum ut advene. Prophanum enim putant Egyptii edere cum Hebreis, forte pro dispari cultu. Disposuitque Joseph fratres secundum ordinem etatis eorum, sicut in domo patris sedere consueverant, datisque partibus mirabantur quod pars Benjamin quinque partibus excederet. Josephus ait Benjamin duplicibus partibus honorabat. Utrumque tamen stare potest, si quinque fuerunt ciborum impositiones, et de qualibet duplum dedit. Biberuntque et inebriati sunt cum eo, id est saciati cibo, secundum idioma Hebreum. Precepitque Joseph dispensatori suo ut impleret saccos, et pecunias eorum reponeret ut prius, et ciphum suum argenteum in sacco minoris reponeret; factumque est ita. Ortoque mane dimissi sunt. Tunc dispensator insecutus est eos iubente Joseph, et apprehensis ait: Pessimam rem fecistis, ciphum furati estis in quo bibit dominus meus, et in quo augurari solet. At illi dixerunt: Apud quemcumque inventum fuerit quod queris, moriatur, et nos servi domini tui erimus. Ille scrutatus incipiens a maiore usque ad minorem, invenit ciphum in sacco Benjamin. Illi autem redierunt ad Joseph. Quibus ait: An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia? Forte ioco dictum est, nec est imputandum. Judas vero plurimum supplicabat, ut ipsum meliorem pro puero servum retineret, quia in suam eum fidem receperat a patre. Quod Joseph indicavit se fratribus.

Non poterat ultra se cohibere Joseph, et eiectis aliis foras, cum fletu clamavit, ita quod qui Egyptii erant audierant: Ego sum Joseph, nolite timere, pro salute vestra misit me Dominus ante vos. Biennium famis iam transiit, adhuc quinque anni restant, quibus nec arari poterit nec meti, quod eximia fluvii inundatione creditur accidisse. Et adiecit: Festinate et nunciate patri meo gloriam meam, adducite eum ad me, et pascam vos et pecora vestra ne moriamini, et habitabitis in terra Jessen. En oculi vestri vident quod os meum loquatur ad vos, id est verum esse quod loquor. Osculatusque est Joseph omnes fratres suos, flevitque super singulos. Auditumque est verbum in aula regis. Gavisusque Pharao dixit ad Joseph: Dic fratribus tuis: Tollite plaustra de Egypto ad subvectionem coniugum et parvulorum; omnia vestra adducite vobiscum; dabo vobis omnia bona Egypti, et medullas terre comedetis. Factumque est ita. Deditque Joseph singulis binas stolas. Stola dicitur atelon, quod est longum quasi talaris; Benjamin vero trecentos argenteos et quinque stolas optimas; totidemque misit patri, asinosque decem qui subveherent ex omnibus bonis Egypti, et proficiscentibus ait: Ne irascimini in via. Qui cum venissent ad patrem, dixerunt: Joseph vivit, et dominatur in Egypto. Jacob quasi de gravi sompno evigilans, non credebat eis. Cumque vidisset universa que miserat, ait: Sufficit michi si filius meus Joseph vivit. Quasi de pena vel gloria non multum curo. Si vivit, vadam et videbo eum priusquam moriar.

De descensu Israel in Egyptum.

Igitur profectus Israel cum omnibus que habebat venit ad puteum iuramenti, et mactatis victimis Deo, audivit Dominum per visionem noctis dicentem sibi: Noli timere, ascende in Egyptum, faciamque te in gentem magnam, et inde reducam te; Joseph quoque ponet manum suam super oculos